



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibus, Quæ Religiosum Constitvunt, vel ad illum disponunt

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1625

XV. Vtrùm professio religiosa quatenus contractum humanum includit, sit
indissolubilis per contrahentium voluntatem, & vnde id habeat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93480](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93480)

potere de intrando, vel proficendo; Vbi hæc duo, quæ sub disunctione ponit, pro eodem reputat.

20.
Difficultas
speculativa
circa votum
simpliciter
Societatis
Iesu.

Vltimò hic obiter dubitari potest de votis simplicibus Societatis, quæ post biennium sunt, nam per illa cum traditione, & incorporatione facta in tali religione etiam superiora vota cessant, & tamen huiusmodi religiosus potest dimitti omnino liber à votis illius religionis; resurgente tunc priora vota, & præsertim Hierosolymitanum, vel aliud simile, quod non nisi per aliud votum perpetuum extinguitur, iuxta cap. Scriptura, de voto? Responderi potest sub disunctione; aut enim talis religiosus per dolum, & fraudem dedit causam, ob quam iuste eiicitur, vel sine dolo processit; nam in priori casu videtur obligari, non verò in posteriori. Sed distinctio hæc non recte applicatur; aut enim talia vota fuerunt suspensa, vel omnino extincta (hæc enim distinctio multum est in hac materia obseruanda) si fuerunt tantum suspensa, non fuit facta absoluta commutatio, sed solum dilata obligatio durante illo statu, & ideo quacunque ratione cesset, etiam sine dolo obligatio redibit. Si verò fuerunt extincta, redire non possunt, etiam si dolo malo exitus procuraretur, quia obligatio extincta non resurgit; ille tamen non manebit tutus in conscientia quantum ad suum statum; & vota quæ in religione emisit; an verò de factis cætera vota in Societate per vota post biennium emissa sint extincta, vel tantum suspensa, in tractatu vltimo de Societate dicemus. Nunc breuiter supponimus non extingui, sed manere tantum suspensa ipso iure, iuxta Decretum 128. primæ Congregat.

21.
Quomodo
commutat
iur. vota
per ingres
sum reli
gionis.

Si verò loquamur de solo ingressu religionis per habitus susceptionem, per illum non commutantur vota ipso iure, vt supra dictum est, sed ad summum suspenduntur, & ideo mirum non est, quòd per exitum à religione absque professione redeat obligatio. Potest tamen fieri ab homine commutatio in talem ingressum bona fide factum in ordine ad professionem emittendam, si post legitimam probationem indicatum fuerit expediens. Et tunc etiam est verum obligationem extinctam non redire. Tunc verò optime applicatur distinctio data, an dolo, & malicia exeat omnia professione, vel bona fide vtendo facultate communi iure sibi concessa. Nam si procedat hoc posteriori modo, manet tutus, & liber ab hac posteriori obligatione, si verò mala fide exitum procurauerit, non tenebitur quidem obligatione prioris voti iam extincti, tenebitur tamen iterum ingredi religionem, quia ex vi prioris commutationis manet obligatus ad religionem profitendam, quantum in ipso esset, vel saltem an non dimittendam illam per malitiam, & dolum.

22.

Ex quibus facile etiam constat, quid dicendum sit si votum peregrinationis etiam Hierosolymitanæ, vel aliud commutetur in votum simplex religionis: nam hæc etiam commutatio non fit à iure, sed ab homine; & est sine dubio licita, quia est de meliori bono, & videtur probari in dict. cap. Scriptura; intelligiturque non solum de voto profitendi religionem, sed etiam de voto simpliciter ingrediendi iuxta formam iuris; nam etiam hoc est perpetuum, vt supra dixi, & sine dubio est de meliori bono. Per talem ergo commutationem extinguitur prius votum, nec resurgit vnquam, siue vouens perseveret in religione, siue non. Applicanda verò est distinctio data de exitu cum bona, vel mala fide, non vt in alterutro casu prioris voti obligatio resurgat; hoc etiam fieri non potest, cum fuerit extincta; sed vt satisfactum fuerit, vel non fuerit voto

religionis: nam qui mala fide exit, & sine causa rationabili, non liberatur ab obligatione illius voti. Si autem bona fide vritur iure sibi concessa, liber manet. Et idem est si talis voti religionis dispensationem obtineat. Denique ita de illo iudicandum est, ac si à principio solum votum religionis emisisset.

CAPVT XV.

Primum professio religiosa quantum contractum humanum includit, si nondum solubilis per contrahentium voluntatem, & unde id habeat.

Supponimus in professione duo interuenire, scilicet traditionem religiosi cura acceptatione religionis, ac mutua, seu reciproca obligatione, & vota, quæ Deo immediate fiunt, ac immediate obligationem ad Deum inducunt, de cuius perpetuitate, vel possibili relaxatione postea videbimus, nam solius prioris vinculi indissolubilitatem, obligationisque perpetuitatem inuestigamus. Duobus autem modis potest simile vinculum relaxari, vel esse indissolubile, scilicet, vel ab intrinseco ex mutuo consensu contrahentium, vel ab extrinseco per dispensationem superioris, vel per alium excellentiorem modum, sicut matrimonium ratum tantum, est ab intrinseco indissolubile, licet ab extrinseco per dispensationem solui aliquando possit, & per professionem religiosam irritari. Hæc duo modi in vinculo professionis considerari possunt, & de dispensatione dicemus postea. Nunc prioris modo conditiones huius vinculi consideramus, supponimusque duobus modis intelligi posse contractum humanum inter duos esse dissolubilem ab intrinseco. Primum per mutuum consensum, & quasi contrarium pactum inter eosdem. Secundo per voluntatem vnus partis etiam altera inuita, quod potest contingere, vel ex parte vnus ex contrahentibus, vel ex parte vtriusque, ita vt vnusquisque possit cogere alterum ad rescindendum contractum si voluerit: vt. g. contractus emtionis, & venditionis absolute factus, & consummatus potest dissolui ex consensu vtriusque partis, non verò per vnus tantum voluntatem. Si autem aliquid facta sit cum pacto de retrovendendo ex parte ementis, potest prior alienatio dissolui ad petitionem primi venditoris etiam inuito priori emptore. Si autem prior contractus est cum pacto tam de retrovendendo, quam de emendo ex parte vtriusque contrahentis, tunc ad petitionem cuiuscunque; illorum alter cogi potest ad priorem contractum dissoluendum. In præsentem ergo omnes isti modi possunt cogitari, & ideo de singulis dicendum est.

Dico primum vinculum professionis ex parte profitentis omnino indissolubile est, ita vt sola voluntas eius nunquam vel possit ad rumpendum vinculum, libertatemque recuperandam sufficere, vel religionem ad illam concedendam cogere. Hæc assertio extra controuersiam est; nam in primis ratione huius obligationis religiosi professi suam religionem deserentes apostatae sunt, & grauissime puniuntur, compellique semper possunt, vt redeant. cap. consulti, cap. ex parte, & cap. vltimo, de Regular. & cap. vltimo de Apostatis, & cap. 2. ne clerici, vel monachi in 6. Deinde ratione probatur, quia religiosus per professionem fir seruus religionis, in quam sui dominium transiit, sicut in seruitute civili videre licet. Idemque argumentum sumitur ex donatione alteri facta, quam donator reuocare non potest, siua sola voluntate, sic autem religiosus se donat monasterio; ergo non potest suo arbitrio reuocare donationem factam inuita religione; hoc enim est de ratione seruitutis,

uitatis, & donationis absolute, ac voluntarie facta. Denique idem est de qualibet promissione absolute facta, praesertim quando supponit donationem, & cadit in perpetuitatem, & perseverantiam in traditione factam, quomodo etiam in professione religiosa tacita, vel expressa fit.

Dico secundo. Post absolutam, & solemnem professionem a religione acceptatam non potest religio sua tantum voluntate religiosam inuitum liberum a vinculo professionis dimittere, eumque religiosum statu priuare; neque illum cogere, vt talem dimissionem acceptet. Circa quam assertionem notandum duobus modis posse religionem a se religiosum expellere, vno solum quoad vltim (vt sic dicam) status religiosi, & vnionem cum ipsa religione. Alio quoad proprietatem, seu vinculum obligationis, & quoad ipsum religiosum statum. Nunc non tractamus de priori eiectione; nam licet illa non possit fieri sine causa, fieri tamen potest per modum iustae pœnae, nisi iure Ecclesiastico prohibeatur, vt in fine huius materię videbimus. Hic autem de posteriori modo separationis, & abscissionis religiosi loquimur, & intelligitur assertio non solum sine causa, sed etiam cum illa; & a fortiori colligitur hæc assertio ex cap. vlt. de regular. in quo iubentur praelati religionis omnes fugiuos, & apostatas annuatim inquirere, & ad religionem aliquo modo reuocare. Item ex communi sensu, & praxi Ecclesię constat professum religiosum, etiam si ei ciatur in perpetuum, & ab actuali iugo religionis eximatur, semper manere religiosum, & posse cogi vel a religione, vel saltem a Pontifice, vt ad habitum, & ad obseruantiam religionis redeat. Ratio autem est, quia huiusmodi professio fit cum obligatione inter religionem, & religiosum, vt supra dictum est cum Nauarr. conf. 5. alijs 16. de regularibus. Sanch. lib. 7. disp. 35. vbi alios allegat; ergo religio cum acceptat traditionem religiosi, non pure (vt ita dicam) tanquam donationem omnino liberalem illam acceptat, sed vt onerosum, & mutuum contractum, ita vt simul se obliget absolute, & simpliciter ad reuocandum religiosum, & alendum, educandum, ac bene regendum illum: ergo non potest sua voluntate, siue illum inuitum dimittere.

Dices, hoc solum probare de eiectione ita voluntaria, vt sine causa iusta fiat, secus autem si fiat ex causa rationabili, iuxta Ecclesiasticos Canones, vel propriam regulam, sicut habetur in regula Sancti Benedicti cap. 28. & 29. Tunc enim iuste, & valide eiicitur, quia & est pœna iusta, ad quam imponenda non deest, potestas in religione, & hæc ipsa conditio a priori pacto contenta est, vel subintelligi debet. Sed instabit, nam inde sequitur, posse praelatum religionis ex causa, & in pœnam, non solum eiicere religiosum quoad actualem vnionem, & subiectionem, sed etiam ipsum religionis vinculum, & statum prorsus aufertendo, quod admitti non potest. Probatu sequela, quia potest religio ita illum liberum a sua subiectione dimittere, vt illum amplius ad se reuocare non possit, nec ille amplius ad illam redire, vel ei parere teneatur; ergo tunc religio cessit iuri suo, totumque dominium, quod in religioso habebat, a se abdicauit, & ab omni obligatione alendi, & regendi talem personam, se ipsam liberauit; ergo pactum traditionis, & acceptationis, ac obligationis recipere inter religionem, & religiosum prorsus fuit contingit in seruo civili, quando ita a Domino manumittitur, vt dominio in ipsum se abdicet. Hinc vero vterius sequitur, talem sic eiectionem omnino fieri non religiosum, & liberum ab omni obligatione etiam votorum euadere. Probatu, qua fundamentum

primum totius status religiosi prout nunc fit, est traditio, & pactum inter religionem, & religiosum; ergo destructo fundamento, totus status tollitur. Item, ille est status seruitutis, sed tollitur seruitus, vt probatum est; ergo & status religiosus. Præterea tollitur votum obedientię, quia subtrahitur omnino materia eius; neque enim ille promiserat obedientiam nisi praelatis illius religionis, quibus iam non tenetur obedire, quia iam non sunt sui praelati, neque amplius ad id obligari potest, quia non potest vnquam cogi, vt illis subiciatur; ergo materia illius voti omnino subtrahitur in eo casu, & consequenter votum irritatur: illo autem ablato cessant reliqua; tum quia illa non sunt facta nisi cum mutua dependentia ob conuenientiam ad professionem, quæ sublato quocunque essentiali requisito, tota destruitur: tum quia religiosus non emittit vota, nisi in statu religioso seruanda; ergo destructo religioso statu, omnia vota euacuantur.

Respondeo per eiectionem religiosi professi quantumvis iustam, & perpetuam, nunquam rescindi omnino prius vinculum, vel ex parte religiosi quoad traditionem, & seruitutem religiosam, vel ex parte religionis, quæ non omnino amittitur, seu dominium, quod prius habebat in religioso eiectionem, quandiu aliam religionem non ingreditur, & in ea proficitur. Nam religiosus sic eiectus verus religiosus manet, vt notat Archidiacon. in cap. Abbat 18. q. 2. n. 5. vbi etiam regulam Sancti Benedicti supracitam sic exponit, & tenetur ad vota seruanda, & fortasse ad aliquas grauiotes obseruantias suæ religionis, quatenus in tali modo viuendi seruari possunt, vt late tractat Nauarr. Commen. 2. de Regular. n. 33. & sequentibus, & in Comment. 3. num. 44. & 45. & nos inferius disputabimus. Et præterea est valde probabile teneri ad religiosam communitatem reuerti, si a praelato reuocetur, quia hoc magis pertinet ad iustam pœnam, & non est necesse, vt religio se prius suo dominio, & potestate in talem personam, licet possit illa nunquam vt in religiosam dimissum, si ita expedire iudicauerit, vel sibi licuerit. Et hoc maxime confirmat cap. vltimum de regul. vt supra citauit. Et potest exemplo confirmari. Nam hoc etiam modo posset Dominus temporalis mancipium eicere non manumittendo illum, sed tantum non vtendo dominio suo circa illum, vel illum a se separando, vt suo arbitratu viuat, & de suis operibus alatur, quandiu Domino videbitur.

Addo verò vterius, licet demus posse aliquam religionem ita cedere iuri suo, quoad gubernationem religiosi, vt nunquam possit amplius illum cogere, vt ad suam obedientiam reuertatur, nihilominus semper manere sub obedientia speciali summi praelati omnis religionis, qui est Summus Pontifex, respectu cuius semper manet in statu religioso, & sub peculiari eius potestate tam ratione traditionis, quam ratione voti obedientię. Quia licet tantum se obligauerit per votum illi religioni, & praelatis eius, sub illis Pontifex continetur, & ideo ab illo cogi semper potest, vt ad suam religionem reuertatur, non tantum per potestatem iurisdictionis, vt Pontifex est, sed etiam per specialem potestatem praelati totius religionis. Quod maxime habet locum hoc tempore, in quo religiosi sunt exempti a praelatione Episcoporum. Nam olim illis erant subiecti non tantum, vt Episcopis instar aliorum fidelium, vel clericorum, sed etiam tanquam propriis praelatis, & superioribus, vt sumitur ex multis decretis apud Gratianum 18. q. 2. præsertim a cap. quidam monachorum, ex Conc. Chalcedon. cap. 4. & c. Abbat 6. ex Concil. Aurelian. I. cap. 2. 1. & cap. 4. monasteria, ex Concil. Arelaten. 1. cap. cognouimus, ex Gregor. 1. 7. epist. 65. & ex Dio-

Per a responso.

Ad quid conuatur professio a religione dimissus, quamdiu in alia non proficitur.

6. Abarepta sic eiectus semper manet sub obedientia speciali summi pœa ista.

ex Dionysio cap. 6. de Ecclesiastica Hierarch. D. Th. 2. 2. quaest. 186. art. 5. ad 3. Et inde etiam fit, ut eieci à religionibus exemptis Episcopo tanquam praelato suo religiose obedire teneantur. Quia eiectus à religione, & habitu religionis priuatus priuilegium exemptionis amittit, ideoque redit ad ius antiquum, & Episcopo subiectus manet. Sic ergo constat per eiusmodi eiectionem, & separationem religiosi à corpore religionis nunquam auferri, aut rescindi fundamentum illud religiosi status, quod in traditione religiosa constituitur; nec etiam votum obedientiae per subtractionem materiae extingui, multoque minus caetera vota castitatis, & paupertatis. Atque ita certa, & indubitata relinquitur assertio posita, quod in his religionibus, in quibus secundum Ecclesiae morem status religiosus per solemnem professionem constituitur, nulla est potestas in religione, vel praelatis eius ad liberandum religiosum ab ipso vinculo religionis, eiusque statu quo ad substantiam eius, ipso religioso inuito. Quare autem potest, quae sit propria ratio huius impotentiae, & an sit ex lege positua Ecclesiae, vel ex diuino, aut naturali iure, quod in sequentia assertione explicabitur.

Eiectus à religione manet subiectus Episcopo.

7. Neque ex pacto contrario (ut sic dicam) religionis, & religiosi non potest religiosa traditio à religione rescindi quoad vinculum eius. Hæc etiam est communis, & indubitata assertio, quam Nauarr. in comment. 2. de regular. num. 33. & in comment. 3. n. 45. ex Cardin. in cap. si de regular. q. 1. his verbis explicat. Professio regularis producta in regulari quasi quendam characterem indelebilem. Et citat D. Thomam. 2. 2. qu. 88. art. 11. addendo ampliationem, per vllam potestatem etiam papalem, quam ipse non probat cum Innocent. & aliis in cap. cum ad monasterium, de statu Monach. in quo inuuit omnes, qui putant vinculum professionis solemnis esse omnino indispensabile, à fortiori huic assertioni subscribere; & eos, qui admittunt dispensationem, saltem supponere nullo alio modo auferri posse. Habet autem hæc veritas fundamentum in primis in iure canonico in decretis citatis, præsertim in dicto cap. vltimo, de regular. Fauet etiam dictum cap. cum ad Monasterium, de statu Monachorum. Deinde in vsu, & traditione omnium religionum; nunquam enim talis modus liberandi aliquem à vinculo religionis in Ecclesia visus est, nedum permissus, vel probatus. Adde non solum nunquam fieri dissolutionem vinculi religiosi isto modo, verum etiam neque quoad actiualem subiectionem, & vnionem cum ipsa religione; hæc enim per modum conuentionis, & pacti inter religiosum, & praelatum sine alia causa exigente talem separationem, per solem auctoritatem praelati, seu religionis fieri non potest. Vnde ad summum fit per modum iustæ potestatis, vt explicauimus.

8. Difficultas verò superest in explicanda radice huius indissolubilitatis, vnde quaestio est, an sit ex sola prohibitione Ecclesiae addita tali contractui religioso tribus votis consummato, vel sequatur ex natura rei, supposito pacto tali modo, & intentione inuito? Quod enim priori tantum modo fieri potuerit, suaderi potest primo, quia supra lib. 2. diximus non esse de essentia status religiosi, vt hæc traditio sit ex vtraque parte irreuoocabilis, & probauimus fuisse antiquum morem religionum dimittere religiosos liberos etiam quoad vinculum, & quoad totum religiosum statum. Et si ponderentur aliqua, quæ ex Basilio, Augustino, Benedicto, & Gregorio attulimus, perfectò indicant solitum esse id fieri ad solem petitionem religiosi consentiente praelato religionis, ergo dissoluebatur vinculum ex mutuo consensu;

ergo signum est, non habere vinculum illud ex diuino iure naturali, vel positiuo tantam indissolubilitatem. Secundò idem suadet, quia omnis contractus humanus, per quas causas nascitur, rescindi potest, iuxta regulam §. vltimi instituta, quibus modis obligatio tollatur; sed hoc vinculum religiosi cum religione per contractum humanum, & mutuum consensum factum est; ergo per eisdem consensu dissolui potest. Confirmatur. Nam hæc ratio multi, & grauissimi viri sentiunt matrimonium ratum non esse natura sua omnino indissolubile, nisi aliqua diuina institutio addatur, cum tamen nullus contractus humanus sit natura sua indissolubilius, quam sit matrimonium. Aliud simile exemplum est de seruitute humana ex voluntario contractu orta; nam licet ex se perpetua sit, nihilominus ex consensu partium dissolui potest; quod, non obstat statui seruitutis, quia sufficit, vt natura sua ex parte serui perpetua sit. Idem ergo erit in seruitute religiosa. Probatur consequentia ex similitudine rationis quo ad hanc partem. Nam herus potest manumittere seruum, quia ratione dominii potest vti illo, vel renuntiare iuri, quod in illum habet: praelatus autem religionis habet dominium, vel ius peculiare in religio; ergo potest ius suum renuntiare si velit, & consequenter religiosum à iugo seu iuris religiosæ liberare; hæc tamen intercedente differentia, quod in manumissione solus consensus heri videtur sufficere, quia illa seruitus est penalis, & onerosa seruo, & iam quasi naturaliter supponitur consensus illius; seruitus autem religiosa est honorifica, & commoda non solum animi, sed etiam corpori, & vitæ humanae; & ideo secundum rectam rationem, & ordinariè non præsumitur, sed expectatur consensus religiosi, illo autem accedente nihil aliud ex natura rei decidendi posse videtur, vt fieri possit vinculi dissolutio; Vnde è contrario necessaria erit superior positua prohibitio, vt talis dissolutio fieri non possit.

Aliunde verò potest contrarium suaderi primo, quia hoc vinculum de facto est indissolubile dicto modo, vt diximus, & non ratione alicuius prohibitionis posituæ; ergo ex natura rei. Probatur minor, quia talis prohibitio non est iuris diuini positua, nullibi enim ostendi potest, maxime cum eiusmodi contractus, & traditio ab Ecclesia inuenta sit. Nec etiam est iuris Põificii, quia nulla lex canonica profertur potest, per quam facta sit; nam cap. vlt. de regular. quod aliqui ad hoc citant, nihil probat; ibi enim potius supponitur immutabilitas status religiosi professi, quam religio, vel praelatus eius non potest auferre; & ideo præcipitur ibi praelatis, vt omnino procurent fugitios religiosos, & quomodocunque extra religionem vacantes ad illam reuocare. Neque ad hoc sufficit prohibitio canonica; alias enim esset in potestate Pontificis, vt esset supremus religionum praelatus, hoc modo dissoluere illud vinculum per solem voluntatem suam de consensu religiosi sine vlla causa, atque ad eò non dispensando, sed quasi irritando. Et consequenter licet fortè peccaret Pontifex, id faciendò cum damno spiritali subditi, nihilominus factum teneret, quia vtitur iure suo, remittendo, seu condonando illud, & consequenter etiam ius religionis tanquam supremus dispensator omnium bonorum eius, & non ageret contra iustitiam respectu religiosi, quia volenti, & consentienti non fit iniuria, nec prohibitio humana potest actum Pontificis irritare. Eset ergo valida eiectio, & translatio personæ ab statu religioso ad non religiosum sine causa, & dispensatione iusta, quod est absurdum, & contra omnem sensum, & vltim Ecclesiae.

Secundò probatur hæc pars à priori, quia ex hoc con-

Probatum vinculum hoc professio natura rei indissolubile.

10.

inter religionem, & religiosum, quem professio solemniter includit, non solum nascitur re-
 currens obligatio inter religionem, & religiosum in
 eorum contractu, sed multo magis nascitur obli-
 gatio respectu Dei, in cuius honorem, & cultum ille
 contractus fit: ergo ex hac parte contractus ille na-
 turam suam indissolubilem est per solas voluntates con-
 trahentium, quia diuinum ius utique Deo acquisi-
 tum ex vi illius contractus resistit. Et confirmatur,
 ac declaratur, quia licet religiosus proxime se tradat
 religioni, principaliter se tradit Deo per religio-
 nem, seu in religione; & similiter licet praelatus pro-
 xime acceptet traditionem illam, Deus per illum
 principaliter illam acceptat: ergo post consummatum
 contractum non sufficiunt voluntates proxi-
 me contrahentium ad illum dissoluendum, nisi
 conset Deum etiam cedere iuri suo, ad quod neces-
 saria est auctoritas Pontificia, cui talis interpretatio
 diuina legis commissa est, qua utitur quando in vo-
 tis dispensat, & ideo si aliquo modo potest dissolue-
 re hoc vinculum, solum est per modum dispensa-
 tionis, vt mox videbimus. Non autem id potest fa-
 cere quasi cedendo peculiari iuri, quod sibi, & reli-
 gioni per talem professionem, & traditionem ac-
 quitum est; cuius optima ratio est, quia hic modus
 contrahendi priorem contractum per mutuum con-
 sensum, est actus proprii, & absoluti dominii, qua-
 le habet dominus temporalis in seruum; ac nec reli-
 gio, nec praelatus eius, vel etiam Papa habet tale do-
 minium speciale in religiosum, sed solum habet
 administrationem vice Dei proprii Domini; ergo
 non competit praelato, vel Papae talis absoluta po-
 tellas renuntiandi, vel dissoluedi illum contra-
 ctum, quasi per potestatem dominatiuam; ergo sub
 hac ratione natura sua indissolubilis est. Quod po-
 test tandem explicari exemplo magis sensibili. Nam
 si quis donet calicem Ecclesiae, non potest postea
 praelatus, vel etiam Pontifex donationem irritare,
 vel calicem reddere priori domino ex sola absolu-
 ta voluntate, ac si esset absolutus dominus calicis,
 quia tenent non habet tale dominium, sed pruden-
 tem administrationem per quam poterit de calice
 disponere, vt fidelis dispensator, & prudens. Ita ergo
 se habet persona religiosa Deo donata in seruitutem
 specialem, ideoque non potest in libertatem restitui
 per solam manusmissionem, (vt sic dicam) volunta-
 riam alicuius hominis, sed ad summum poterit per
 iustam dispensationem, de qua mox videbimus.

Hac sententia valde probabilis est, dummodo in
 eo sensu accipiatur, vt his, quae de essentia huius sta-
 tus religiosi in lib. 2. diximus, non sit contraria. At-
 que ita recte intellecta poterit forte cum superiori
 conciliari. Itaque in primis duplex quaestio di-
 stinguenda est. Aliud enim est quaerere, an religio-
 sus status requirat vinculum natura sua indissolubi-
 le per voluntates proxime contrahentium. Aliud
 vero est quaerere, an possit interdum status religio-
 sus huiusmodi contracta natura sua per voluntatem
 proxime contrahentium indissolubili, ex vi con-
 tractus sine alio legis humanae adminiculo. In hoc
 enim posteriori sensu dubitatio haec accipienda est.
 Nam in priori pro certo supponimus non esse con-
 tractum sic indissolubilem necessarium ad omnem
 religiosum statum constituendum, neque esse illi
 essentialem secundum suam generalem rationem
 praecise spectatam. Ratio patet ex dictis, quia potest
 fieri religiosa traditio, in qua acceptatio non fiat o-
 mnino absoluta, sed sub conditione limitante, ac
 potestate retractandi illam iustis ex causis secundum
 regulas, seu constitutiones religionis, & tunc clarum
 est ex dicta traditione non contrahi vinculum indis-
 solubile, cum ex iusta causa dissolui possit, & cessante

Fr. Suarez de statu relig. tom. 3.

per solam reuocationem a praelato factam iuxta
 prioris pacti tenorem, & hic modus traditionis est
 nunc in vsu in Societate Iesu quoad aliqua membra
 eius, & nihilominus sunt veri, & proprii religiosi. Et
 forte etiam fuit in vsu in antiquis religionibus, vt in
 libro secundo tractatum est. Nihilominus tamen
 certum est, non hoc tantum modo fieri posse, & nunc
 fieri religiosum statum, quin potius secundum praesentem
 Ecclesiae morem frequentius fieri religiosum
 statum cum vinculo dicto modo indissolubili; ideo-
 que in alio sensu superest quaestio, an sit possibile
 constitui etiam statum illum per talem traditionem,
 & acceptationem, quae ex se, & natura sua inducat
 vinculum indissolubile, & consequenter an de factu
 professio solemniter ita fiat?

Pro cuius resolutione est vterius considerandum
 saepe, ac frequentius contingere, vt forma contra-
 ctus, & modus, ac intentio contrahendi humano iure
 instituta sit, & nihilominus contractus semel fa-
 ctus natura sua inducat talem, vel talem obligatio-
 nem, vel effectum magis, vel minus permanentem,
 vt, v. g. si lex statuatur, vt acceptans semel Episcopatum,
 vel aliud munus, non possit illud sua auctori-
 tate, & libertate renuntiare, vel vt qui acceptauit
 hereditatem, non possit illam repudiare; tunc quod
 ille contractus sub tali modo, & onere accipitur, ex
 humana est institutione, & nihilominus contractus
 sub tali intentione factus inducit tale onus natura
 sua, quia non solum ex ciuili, sed maxime ex natu-
 rali obligatione ad illam seruandam cogit. Ad eum
 modum, quo votum, vel promissio est obligatio hu-
 mana mere voluntate inducta, semel tamen posita
 ex natura sua talem obligationem inducit. Sic ergo
 illa professio solemniter dici potest habere indissolu-
 bilitatem a iure Ecclesiastico, quatenus quod tali
 modo fiat ex Ecclesiae institutione introductum est,
 vt constat, tum quia poterat non ita fieri, si Ecclesia
 nollet, tum quia fortasse antea ita fiebat, & postea
 alia forma profutendi introducta est. Tum etiam,
 quia illa indissolubilitas omnino pendet ex modo,
 & intentione acceptationis, quae per auctoritatem
 Ecclesiae fit nomine Dei: hic autem modus ab ipsa
 Ecclesia praescribitur, & determinatur: ergo talis
 modus contrahendi in ius Ecclesiasticum resoluitur,
 & nihilominus professio sic facta recte dici potest
 inducere vinculum indissolubile per voluntatem
 contrahentium, tum quia & religiosus sic se tradens
 omnino se priuat potestate retractandi tale pactum,
 vel talem donationem, quia ex parte sua totum ius
 suum absolute transfert in Deum; & religio ex vi in-
 stitutionis suae ita acceptat, vt absolutum dominium,
 vel quasi dominium talis personae, Deo principaliter,
 & sibi ministerialiter, vt sic dicam, acquirat, &
 ideo ex vi talis acceptationis illum amplius retracta-
 re non valeat, quia nec suo nomine potest, nam ius
 transfuit specialiter in Deum, nec etiam nomine
 Dei, quia non est ad hoc ministerium constitutus
 praelatus, vel religio, sed peruenit ad vicarium Dei,
 qui altiore potestate habeat dispensandi bona,
 seu iura Deo specialiter acquisita.

Et iuxta haec facilis redditur ratio, quae circa se-
 cundam assertionem quaerebatur, cur scilicet non
 possit praelatus religiosus incorigibilem religiosum
 sic professum ita dimittere, vt ipsum statum religio-
 si, & regularitatem, & quasi characterem eius (vt
 Nauarr. loquitur) illi auferat. Hoc enim non tri-
 buit sufficienter prohibitioni humanae, tum quia
 aliter Pontifex id facere posset saltem valide, quam-
 uis illicite, sicut facere tollendo, vel dispensando
 sine causa in votorum solemnitate, de quo tamen
 maior est ratio, nam solemnitas voti est tantum de
 iure humano, vt ostensum est, professio vero seu tra-
 ditio

12.

In quo sensu dicatur professio indissolubilis iure Ecclesiastico, & simul naturali.

Cur praelatus non possit dispensare pro- fessione cum subditis.

13.

ditio solemnis est iuxta conditiones iure humano constitutas emittatur, illis tamen positis iure naturali manet irrevocabilis, etiam per summum Pontificem, nisi per dispensationem quando iusta intervenit causa, tum etiam, quia potest contrarium lege humana induci, quod certe non potest nisi mutando modum acceptationis, & contractus, qui modo in professione solemniter datur. Tum denique, quia inuoluit repugnantiam quod acceptatio sit omnino absoluta, & quod retineatur potestas eiciendi religiosum, priuando illum tali statu, quia in hoc secundo inuoluitur conditio opposita absoluta acceptationi. Vnde etiam sequeretur talia vota, quae supponuntur, esse solemniter inducere conditionem repugnantem solemnitati votorum, iuxta dicta in libro secundo. Accedit denique quod iuxta consensum omnium Theologorum, & Iurisperitorum, votum solemniter vel per nullum alium auferri potest, vel non nisi per dispensationem; praeter autem religionum cum puniunt incorrigibiles religiosos, eiciendo illos, non exercent voluntariam, sed exercent iurisdictionem inuoluntariam, & cogentem per poenam; ergo non potest extendi ad ablationem votorum solemnium, & consequenter nec vinculi religiosi, sine quo illa vota non subsistunt.

14. Tandem ex dictis facile est utriusque partis argumenta dissoluere, cum ipsi modi dicendi supra explicati contrarii non sint, etiam eorum fundamenta non concludunt contraria, sed diuersa.

CAPVT XVI.

Virum professio sui vinculum omnino indispensabile etiam per potestatem Pontificis.

1. **H**ae quaestio tractari solet de voto solemniter, & in particulari, & specialiter de voto continentiae; sed quia in singulis votis solemnibus infra a nobis tractanda est, quia in vnoquoque habet suam facultatem, ideo de ipsa professione praecipue ratione traditionis, & emancipationis ad obsequium Dei, & consequenter de voto solemniter, ut sic praecise ex vi solemniter tractanda est, quoniam hinc pendet resolutio omnium dictarum quaestionum. Est ergo in hac re celebris sententia D. Thomae asserentis professionem esse omnino indispensabilem, nec posse Pontificem ex monacho facere non monachum; quod tanta asseueratione affirmat, ut praeter suam consuetudinem dicat, *Papam non posse facere quod ille qui est professus religionem non sit religiosus, licet quidam Iurista ignoranter contrarium dicant, 2. 2. q. 188. art. 11.* Eius sententiam sequutus est Capreol. in 4. d. 33. q. vnica ad argumenta Scoti, & Durandi contra secundam conclusionem, & Syluest. *Votum 4. q. 3.* Tabiena verb. *Dispensatio 8. 7.* Abulens num. 30. q. 109. vbi quosdam antiquos Canonistas pro hac sententia refert, laed Soto lib. 7. de Iustit. q. 4. art. 2. & in 4. dist. 38. q. 2. art. 2. vbi pro eadem refert gloss. in cap. cum ad monasterium, de statu monach. & in cap. 1. de voto. & Alti-fiodorens. lib. 3. Sum. tract. 22. cap. 1. q. 2. Sed licet verum sit ex opinione illorum posse hoc inferri a fortiori, tamen illi non hoc solum asserunt, sed in vniuersum votum perpetuum dispensari non posse, quorum sententiam in hac parte reprehendit D. Thom. & merito, quia improbabilis est. Vnde ex illa non potest hinc opinioni, quam tractamus, auctoritas conciliari; sed potius ex illa potest argumentum sumi a contrario sensu. Nam illi auctores intellexerunt, nihil esse in voto solemniter quatenus tale est, sed solum perpetuitatem, quae illi cum voto simplici continentiae communis est. Vnde si ex perpetuitate non est indispensabile, capax erit dispensationis, & eodem fere modo procedit in hac quaestio-

Proponitur
sententia
D. Thom.
negantis
posse Pon-
tificem di-
spensare in
professione.

ne Alberus Magnus in 4. dist. 35. art. 16. nam aliud generalius principium constituit, scilicet votum perpetuum nunquam posse ita dispensari, ut liceat actus illi contrarius, qui per votum promissus fuerat, vnde etiam in voto temporali non videtur admitti dispensationem, sed commutationem in melius, quam etiam putat fieri non posse in voto perpetuo; quae omnia plane falsa sunt. D. etiam Bonaventura in 4. distinct. 38. quaest. vlt. generaliter negat posse Papam dispensare in votis, sed solum declarare, an obliget, necne; vel an in particulari casu sit maius obsequium Dei seruare votum, quam non seruare. Atque hoc modo de dispensatione loquendo sub problemate relinquit, an habeat locum in professione, quod etiam dicit de voto simplici continentiae. Almainus autem in tract. de auctoritate Ecclesiae cap. 3. licet non admittat dispensationem voti, nisi per modum interpretationis, concedit in aliquo casu posse habere locum huiusmodi interpretationem circa votum solemniter, seu religiosum statum.

D. Thomas primo fundat suam sententiam in verbis Innocentii Papae in cap. cum ad monasterium, de statu monach. *Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa regulae monachi, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* In quibus verbis aperte dicit Pontifex se non posse dispensare in actibus contrariis his votis: ergo multominus poterit dispensare omnino auferendo aliquid ex his votis: ergo multominus poterit dispensare in tota professione statum per illam acquiritum auferendo. Secundo argumentatur ratione, quia non potest Pontifex facere, ut res semel consecrata ad diuinos vsus permanens in esse suo, non maneat consecrata; sed per professionem consecratur religiosus diuino cultui, ita ut esse religiosum nihil aliud sit, quam esse consecratum Deo; ergo non potest Papa efficere, ut persona semel religiosa per professionem, quando uiuit, non sit religiosa. Maior habetur in primis ex illo Leuit. vlt. *illud quod semel sanctificatum est Domino, non potest in alios vsus committi.* Vnde sumpta videtur illa regula iuris in 6. *Semel Deo dicitur non est ad vsus humanos ulterius transferendum.* Item patet inductione, nam calix semel consecratus quando diuinitus est, non potest non esse consecratus. Item crux illa, quae semel fuit sanctificata per contactum corporis Christi, non potest non retinere semper illam sanctificationem. Ratio autem a priori esse videtur, quia haec consecratio intrinsece oritur ex quadam actione, quae iam praeteriit, & ideo relinquit consecrationem indelebilem, perinde ac si characterem immutabilem impressisset: nam illa habitudo ad actionem praeteritam, seu denominatio ab illa relicta magis indelebilis videtur, quam quaelibet impressa qualitas, nam haec quatenus in praesenti manet, auferri potest aliquo modo; illa vero quatenus consistit in habitu ad actionem praeteritam, non magis potest non esse, quam actio praeterita potest non fuisse, postquam facta est.

Vnde non videtur referre ad vim huius rationis, quod Caietan. & alii respondent, benedictionem non esse de essentia professionis; nam D. Thomas (ut credendum est in re tam clara) non facit vim in hoc quod benedictio fiat per rationes, aut per asperisionem aquae benedictae, signum crucis, vel has alias similes caeremonias; nam per se euidentis est has non pertinere ad substantiam professionis, ut in professione tacita constat, & ex haecenus dictis de substantia professionis manifestum est; & sumi etiam potest ex multis iuribus de regular. & de conuers. coniugatorum, ac denique etiam Soto cum Caietano aduertunt in sua religione prius fieri professionem, postea sequi benedictionem. Consecratio-